IOANNIS HENRICI IACOBI MEYERHOFF

BRVNSVICENSIS

SEMINARII PHILOLOGICI SODALIS

COMMENTATIO

DE

PHOENICVM IN ANTIQVISSIMA GRAECIA VESTIGIIS.

IN CERTAMINE LITERARIO

CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

DIE IV. JVNII cIↄIↄccxciv.

PRAEMIO A REGE M. BRITANNIAE AVG.

CONSTITVTO

AB ORDINE PHILOSOPHORVM

ORNATA.

Speremus, quae volumus, quidquid acciderit, feramus.

GOTTINGAE

TYPIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

Quaestio ab illustri Philosophorum Ordine proposita:

Indaganda Phoenicum in antiquissima Graecia vestigia: tum respectu cultus idololatrici; tum litterarum et mythorum; artium denique, et praesertim agriculturae et rei nauticae: quorum nisi omnium, plurium saltem indicia diligenter eruenda, luculentisque exemplis et auctoritatibus munienda sunt.

Quaestioni propositae ita pro virium mearum modulo me satisfacturum esse spero, si quae ipsi veteres a Phoenicibus petita esse dixerunt, pro fundo quasi substruxero; iisque ea, quorum notitiam reperire contigerit, superstructa dabo.

Redeunt autem ea, quae in quaestione comprehensa sunt, ad tria capita:

I. *Vestigia cultus idololatrici et mythorum.*

II. *Vestigia litterarum.*

III. *Vestigia artium.*

Itaque nunc primo loco de vestigiis cultus idololatrici agam et mythorum.

§. 1. de Venere.
§. 2. de Baccho.
§. 3. de Cerere.
§. 4. de Hercule.

§. 5. de Adonide.
§. 6. de Phorcye et Ceto.
§. 7. de Graeis.
§. 8. de Gorgonibus.
§. 9. de Pegaſo.
§. 10. de Chryſaore.
§. 11. de Agenore.
§. 12. de Phoenice.
§. 13. de Cilice.
§. 14. de Cadmo.
§. 15. de Europa.
§. 16. de Thaſo.
§. 17. de Phineo.
§. 18. de Membliaro.
§. 19. de Spartis.

Secundo loco de veſtigiis litterarum agam.

Tertio de veſtigiis artium:
§. 1. de arte litteris ſcribendi.
§. 2. de metallifodina.
§. 3. de arte metalla tractandi.
§. 4. de arte textoria.

I. DE CVLTV IDOLOLATRICO ET MYTHIS.

§. 1. *De Venere.*

In orientalibus terrae partibus, cum homines rationem, qua praediti erant, excolere, atque ad res circa ſe poſitas adhibere coeperant, aeque ac in occidentalibus poſtea, omnium rerum originem primum explicare ſtuduerunt, coſmogoniasque condiderunt. Modum itaque, quo mundum quisque ortum fingeret, pro partibus, quas vnicuique rei communes animaduertiſſe ſibi viſus eſſet, diuerſis, diuerſum fuiſſe, nemini mirum eſſe poteſt. Qui partes aquoſas multis rebus ineſſe viderat, ex aqua ortum earum petebat, qui igneas, ex igne. Opinionem illam: ex aqua omnia ducere originem, in oriente, in Syria potiſſimum, ſenſu latiſſimo hoc loco ſumta, obtinuiſſe, inde, quod apud plures gentes eam incolentes veſtigia eius animaduertimus, tuto colligere licet; ita v. c. in ſacra ſcriptura aquam omnium primam adfuiſſe, terramque ex illa emerſiſſe legimus, Thaletemque, e ſeptem ſapientibus illum, quem alii ex Phoenicia, alii parentibus ſaltem Phoeniciis oriundum dicunt, aquam pro elemento, ex quo omnia orta ſint, habuiſſe ſcimus. Cum itaque ex aqua omnia orta crederent, adeoque vim creatricem in aqua quaererent, notionem illam abſtractam, quam homines rudes, praecipue ſi in calidis regionibus viuunt, adeoque phantaſia gaudent viuida, tanquam meram notionem vix cogitare et verbis exprimere poſſunt, ſub forma quadam in ſenſus cadente cogitabant, poſteaque ſymbolum pro perſona vere exiſtente habebant. Venus igitur ſi mari orta omnia genuiſſe dicitur *a*), illud ex noſtro loquendi modo nihil aliud eſt, niſi: omnia ex aqua procreata ſunt, visque illa creatrix ipſi aquae inerat. Sed non ſolum *vim illam creatricem* deſignat nomen Veneris, ſed etiam eam *vim naturae, quae omnia* *gignit*

a) Orphei Hymn. v. 2 ſqq.



gignit, et saepe *naturam ipsam b*). Notionem illam Phoenices *Astartes* nomine notabant, Graeci, qui eam a Phoenicibus acceperant, *Aphrodites* nomine, *Veneris* Romani. Illam notionem nisi in Venere latere scias, neque ritus neque mythos quosdam, modo omnibus satisfaciente explicare poteris; v. c. ritum illum: feminas corpus Veneri prostituisse, quem Babylone, in Cypro *c*), Heliopoli Aphacis *d*) et Bybli *e*) et Siccae Veneriae *f*) Phoenicum in Africa coloniae, obtinuisse constat; illumque mythum de Veneris erga Adonidem, quem symbolice vim genetricem ἐν τοῖς φυτικοῖς, ideoque fortasse ver significasse scimus, amore. Venerem a Phoenicibus ad Graecos venisse iam probemus. Herodotus *g*) Ascalone Veneris omnium templorum antiquissimum esse tradit, illud, quod in Cypro sit, Cypriis ipsis dicentibus, inde venisse, et aliud in Cytheris Phoenices ipsos exstruxisse. Pausanias *h*), qui Assyrios primum Venerem coluisse scribit, ab iisque Paphios et Phoenices Ascalonem habitantes, et a Phoenicibus Cytherorum incolas eius cultum didicisse refert, eam, quam Herodotus, non meretur fidem, tum, quod Herodoto recentior est, tum quod in terris, de quibus loquitur, ipse non adfuit, vt Herodotus, adeoque rem haud aeque ac ille cognitam habere potuit. Fortasse ipsum Herodotum secutus est, cum vero non omnia recte memoria teneret, neque Herodotum euolueret, paululum aberrauit. Neque illud, quod Herodotus illo loco Assyrios non nominauit, coniecturae obstat, cum alibi *i*), eos Venerem coluisse dicat. Cultus itaque Veneris, cum ex Phoenicia in insulas Cyprum et Cythera venerit, cumque in Graecia quoque cosmogonicam illam Veneris notionem deprehendamus, vel ex Phoenicia ipsa, vel ex insulis in Graeciam migrasse putandus est. Facile quoque, cum Phoenices et mercaturae et praedationis caussa saepissime ad Graeciam appulerunt, cultus ille inter Graecos diuulgari potuit.

b) Cf. Larcher Memoire sur Venus p. 6 et p. 306 sqq. Hermann *Handbuch d. Mythologie aus Homer u. Hesiod.* p. 258. Eiusd. *Mythologie der Lyriker* p. 386. not. 714.

c) Herodot. l. I. c. 199.

d) Eusebius de Vita Constantini, l. III. c. 58.

e) Lucianus de Dea Syria §. 6. *f*) Valerius Max. II, 6.

g) Herod. I, 105. *h*) Pausan. Attic. p. 14. ed. Sylb. *i*) Herod. I, 131.

potuit. Huic accedit, quod Phoenicum ſub Cadmo colonia Boeotiam inſedit, adeoque multum ad diuulgandum illum cultum conferre potuit. Eamque cultum Veneris diuulgaſſe inde veriſimile ſit, quod Cadmus Harmoniam Veneris filiam vxorem duxiſſe dicitur, inque Boeotia ſtatuae Veneris ligneae tam vetuſtae fuerunt, vt de roſtris Cadmi nauium fabricatae et ab Harmonia poſitae dicerentur *k*). Diximus modo, notionem coſmogonicam in Graecia non eſſe abolitam, quod nunc probabimus. Sophocles Venerem ευκαρπον (frugiferam), Empedocles ζειδωρον (vitam praebentem) teſte Plutarcho *l*) appellarunt. Ariſtophanes γενετυλλιν (genetricem) *m*) eam vocat, et Cnoſſi in Creta ſub ανθειας (florentis) nomine colebatur *n*). In hymno quodam Orphei *o*) γενετειρα (genetrix) appellatur, omnia ex ea eſſe dicuntur; illa mundum conſtituit et ordinauit, tribus Moeris imperat, omnia quae in coelo ſunt, in terra, inque mari gignit, dat vitam, atque mater eſt Neceſſitatis. Dicunt ipſam Venerem eſſe matrem Deum, vt Seruius *p*).

Venus apud Phoenices *ſymbolum* quoque erat *Lunae*, notione fortaſſe haud ita prorſus ab illa abhorrente, cum omnes fere populos, et noſtrum quoque vulgus, lunae haud ita paruam in animalibus frugibusque generandis, omnibusque in terra mutationibus proferendis vim tribuere videamus. Ita Plutarchus *q*), lunam ab Aegyptiis mundi matrem appellatam eſſe, auctor eſt; hoc loco quis non meminerit Dianae Epheſiae; quis neſciat, quantam veteres vim Dianae, Hecubae, Ilithyiae, diuerſis vnius ſymboli, lunae ſcilicet, quibusdam ſaltem temporibus, apud Graecos nominibus in hominum partu proferendo, eorum vita ſeruanda vel tollenda, eorumque fatis regendis tribuerint? Auctor commenti de Dea Syria *r*), quod ſub Luciani nomine fertur, Aſtarten, inquit, ego lunam eſſe puto. Philochorus apud Macrobium *s*) Venerem et Lunam eandem eſſe affirmat. Etymologiae ſi aliquid tribuendum ſit, ex hac quoque Venerem

k) Pauſan. Boeot. p. 742.
l) Plutarch. Amator. p, 736. E. tom. 2. ed. Xylandri.
m) Ariſtoph. Nub, v. 52.
n) Heſychius v. ανθεια.
o) Orphei Hymn. 54. v. 2 ſqq.
p) Seruius ad Virg. Aen. X, 83.
q) Plutarchus de Iſide et Oſir. tom. II. p. m. 368. C.
r) Lucian. de Dea Syr. §. 4.
s) Macrobii Saturnal. III, 8.



Venerem illam matrem mundi cum Diana, aliisque Lunae fymbolis, v. c. Hecate, Ilithyia, vnam eandemque effe, probari poffit. Herodotus *t*) Venerem ab Affyriis Mylittam, ab Arabibus Alilat vocatam perhibet. Hefychius *u*) quoque Venerem Myletam ab Affyriis dictam teftatur. Mylitta, feu potius Mylidath, fecundum Scaligerum, eft γενετειρα (genetrix). Alitta, feu Alilat, feu Halilath fecundum eundem, denotat lunam nafcentem, noctilucam. Alilat Hebraeorum eft Lilith, et inde Graecorum Ειλειθυια, Romanorum, qui vocem interpretati funt, Lucina *x*). Neque haec Veneris, tamquam Lunae fymboli, notio apud Graecos prorfus interiit; in Orphica faltem philofophia quaedam de Venere praedicantur, quae, nifi notio Lunae menti inhaereat, explicare nefcias. Ita in hymno LIV Orphei *y*) Venus appellatur coeleftis (ουρανιη), [quam Herodotus quoque et Paufanias a Syriis cultam referunt *z*)] nocturna (φιλοπαννυχος, νυκτερια), manifefta et inuifibilis (φαινομενη, αφανης). In alio quoque Orphei hymno *a*) quaedam de Diana occurrunt, quae non nifi fenfu illo cosmogonico fumi poffunt; dicitur enim ea hominum nutrix (βροτων κουροτροφος δαιμων), omnium regina (παμβασιλεια), opes praebens (ολβιομοιρος). Aftarte Phoenicum, fi eadem fuerit cum Arabum Alilat, Hebraeorumque Lilith, eandem vim, idemque munus habuit, quod Graeci Ilithyiae tribuebant. Hebraei eam puerperis et partui inimicam cenfebant *b*). Sequioribus temporibus Ilithyia Dea a Diana diuerfa effe defiit, eiusque et nomen et munus Dianae tributum eft, quam non, vt Hebraei, dolores excitare, fed potius amouere dicebant. Quam notionem melius Veneri fiue Lunae conuenire puto.

§. 2. *De Baccho.*

Primam fabulae de *Dionyfo* fiue *Baccho* notionem fuiffe fymbolicam et ex *Oriente* profectam, nemo dubitet, ait Cel. Heynius; fatis

t) Herodot. I, 131. *u*) Hefych. v. Μυλητα.
x) Selden. de Diis Syris Syntagm. II. p. 249 ed. Beyeri. Lipfiae 1668. et Hermann *Mythologie der Lyriker* p. 454. not. 878. qui Seldenum fecutus eft.
y) Orph. Hymn. 54. v. 1. 2. 10.
z) Herodot. I, 105. Paufan. Attic. p. m. 14.
a) Orph. Hymn. 35. v. 8. 11. 9. *b*) Selden. p. m. 250.

ſatis quoque, inquit *c*), conſtat, naturam, eiusque vim generandi ab initio fuiſſe declaratam notione in perſonam ſeu deum conuerſa. Deinde diuerſiſſimas res a *Phoenicibus*, Aegyptiis, Thracibus, ex theogoniis, orgiis, et teletis orphicis petitas in vnam fabulam transiiſſe refert, omniaque tandem congeſta eſſe in Bacchum Thebanum, qui proprie inter heroes eſſet." Non dicam quidem, cum Aegyptiae coloniae ante Cadmum in Graecia conſederint, inque illis locis, quae occuparunt, v. c. Athenis, ſacra Bacchi modo a reliquis diuerſo celebrata ſint, cultum Phoenicium in Graecia eſſe antiquiſſimum, ſed potius Aegyptiacum. Phoenices cum Boeotiam inſediſſent, cultum, cui in patria fuiſſent aſſueti, ſecutos eſſe, et ſacra illis ſolemnia repetiiſſe veriſimile eſt. Inter ſacra illa fuerunt fortaſſe trieterica, quae ſummam aliquando celebritatem habuerunt. Bacchus deinde Thebanus, qui ex gente Phoenicia, Semeles nimirum, Cadmi filiae, filius erat, multis egregie factis meruit, vt poſt mortem inter heroes coleretur. Quosnam vero eum potiſſimum coluiſſe dicemus, niſi Phoenices in Boeotia? Quonam vero *modo*, niſi *Phoenicio*? Tandem cum cultus huius herois magnam celebritatem nactus eſſet, fortaſſe ſacra illa, quae in honorem ſymboli illius naturae inſtituta erant, cum Bacchicis ſunt coniuncta. Si ea, quae de Bacchi in Indiam expeditione narrantur, eſſent antiqua, neque poſt Alexandri demum tempora in Graecia cognita, a Phoenicibus ſaltem cum Graecis communicata eſſent dicenda. Ne vero ea cum Frereto *d*) temporibus Alexandri antiquiora putem, hoc me mouet, quod neque Homerus, neque Heſiodus, neque poetae lyrici, ante Alexandrinos ab Hermanno inſpecti, neque Herodotus, neque Euripides in Bacchis, neque Ariſtophanes in Ranis, expeditionis illius fecerunt mentionem.

§. 3. *De Cerere.*

Herodoto ſi fidem habemus *e*), Gephyraei, Phoenices Boeotiam cum Cadmo occupantes, poſteaque a Boeotis pulſi, Atticam inſidentes, Athenis plura templa exſtruxerunt, quorum reliqui Athenienſes

c) Heyne ad Apollodor. p. 571 ſqq.
d) Freret in Mem. de l'Acad. des Inſcript. tom. XXIII. p. 242.
e) Herodot. V, 61.

nienses non essent participes, interque ea *Cereris Achaeiae* (Δημητρος αχαιïης) templum et orgia constituerunt. Epitheton illud Etymologicum Magnum *f*) a Cereris luctu de Proserpina deriuat, (ειρηται παρα το αχος της Κορης), quae tamen etymologia contra analogiam esse videtur. Aliud Cereris epitheton erat *Gephyraea* (Γεφυραιη) et ita, secundum Etymologicum magnum *g*), dicta est Ceres, quia a Gephyraeis praecipue colebatur. Ex his locis haud temere collegisse mihi videor, Phoenices numen quoddam coluisse, quod cum Cerere Graecorum quaedam haberet communia, alias enim graecum nomen ei non esset inditum; deinde verisimile esse, Graecos, inprimis Athenienses, apud quos Cereris cultum maxime floruisse scimus, quaedam ex Phoenicum cultu et orgiis petiisse.

§. 4. *De Hercule.*

Inter omnes, recentiores saltem scriptores, plures Hercules fuisse constat; et omnes fere populos suum Herculem habuisse; cumque veterum Graecorum nouerimus facilitatem, qua deos peregrinos et cultus acciperent, quaeque apud alios deo cuidam, cuius cum eo, quem ipsi colerent, aliqua intercederet similitudo, tribuerentur facta, in suum conferrent: mirum sane non esse potest, eos Herculis Phoenicii, quem Phoenices Tyri potissimum et in insula Thaso coluisse ex Herodoto *h*) scimus, cuiusque cultum in omnibus terris, in quibus Phoenicum coloniae essent, diuulgatum videmus, facta Herculi Thebano, trecentis annis illo iuniori, adscripsisse. Ita quae de Hercule, qui Geryonem occidisse, eiusque armenta abduxisse fertur, narrantur, cum Phoenices in insulam Erythiam vel Gades, Geryonis sedem, coloniam duxisse. Herculemque Tyrium in Hispania cultum sciamus, de Hercule Tyrio intellecta velim. Iustinus *i*) armenta Geryonis tantae famae fuisse tradit, vt Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint. Idem quoque Gaditanos a Tyro sacra Herculis in Hispaniam transtulisse dicit. Firmius adhuc disertiusque Appiani *k*) est testimonium: "Iam vero et Herculis fanum, quod

f) Etymol. Magn. v. Αχαιïη. *g*) Ibid. v. Γεφυραιη.
h) Herodot. II, 44. cf. ad h. l. Heyne ad Apollod. p. 325.
i) Iustinus l. XLIV. c. 3 et 4. *k*) Appian. de bell. Hisp. p. 425 ed. Tollii.

quod apud columnas est, a Phoenicibus conditum videtur, vel hoc solo argumento, quod ad nostram vsque memoriam Phoenicio ritu deus colatur, et Tyrius Hercules, non Thebanus habeatur. Graecos antiquissimis temporibus in Hispaniam non nauigasse, neque Aegyptios, certum est, ideoque illud quoque, quod de columnis Herculis ad Calpen et Abylam traditur, ad Herculem Tyrium retulerim. Illa quoque, quae de Herculis in Africam expeditione ad mala aurea auferenda, deque eius ex Aegypto per Arabiam ad mare orientale, indeque ad Caucasum traduntur itinere *l*), nisi mero figmento ea niti credideris, et temporum rationem neglexeris, ad Herculem Tyrium referas necesse est. Hercules Graecorum Thebis natus fertur; ibi erant Phoenices. Quis inde plura in fabulis de Hercule Phoenicio esse non suspicetur?

§. 5. *De Adonide.*

Adonidis apud Syrios et Phoenices maxima olim viguit veneratio, et nomen iam prodit, eius cultum ex Oriente in Occidentem esse profectum. Adonis enim haud dubie Phoenicum est Adon, i. e. dominus; ita iam Hesychius *m*) vocem explicat: Αδωνις δεσποτης ὑπο Φοινικων, vnde etiam a Laconibus Κιρις et Κυρις dictus est Adonis, i. e. Κυριος, teste eodem *n*). Adonis, secundum Hesiodum apud Apollodorum *o*) Phoenicis et Alphesiboeae filius fuit, vnde hoc saltem colligitur, Adonidem iam antiquis temporibus in Phoenicia fuisse cultum; Locus Phoeniciae, quo praecipue coleretur, Byblus erat. Panyasis apud Apollodorum eum filium Thiantis regis Assyriorum, i. e. Syriorum ex Smyrna filia dicit. Apollodorus eum Cinyrae Syriorum regis, coloniam in insulam Cyprum ducentis, ibique Paphum vrbem condentis, filium fuisse testatur. Vnde haud temere colligere videor, Syrios Adonidem coluisse, eiusque cultum in Cyprum detulisse. Secundum Heynium V. C. *p*) "Adonidis mythi e pluribus generibus commixti sunt, etiam diuersorum numinum, ex Syria, Phoenicia, Aegypto, Cypro; accessere postea Alexandri-

 nae

l) Apollod. II, 5. §. 11. *m*) Hesych. v. Αδωνις.
n) Idem v. Κιρις. *o*) Apollod. III, 14. §. 3 et 4.
p) Heyne ad Apollod. p. 826 et 827. cf. Hermmann *Mythol. d. Lyr.* p. 387 sqq.



nae religiones. Prima notio, ex Oriente profecta, designault naturae vim genetricem, inprimis quod ad τα φυτικα (regnum vegetatiuum nostri dicunt) attinet; respectu maxime habito ad sementem in terra latentem, donec suo tempore progerminat. Ita factum, vt cum Osiride pro eodem haberetur, atque transferrentur ab hoc in eum alia. Poetae Graeci amores Veneris maxime ornarunt, de reliquis parum solliciti." Fabula Orientalis de Adonidis morte, Venerisque super ea luctu, quem significatum habeat, in aprico est; notissima quoque est res, feminas Phoenicias, Byblienses inprimis, mortuum Adonidem quotannis luxisse. De feminis Graecis Argivas tantum feminas Adonidem in cella quadam ad Iouis Seruatoris templum luxisse scio *q*). Ad Orientalem illam Adonidis notionem ritus quidam referri posse videtur, quo frumenta et hordea in quibusdam suburbiis in Adoniis serere consueuerant, et consitos hortos Adonios nuncupauerant *r*). Plutarchus mulieres Adonidis hortos in testis colere et educare dicit *s*).

§. 6. *De Phorcye et Ceto.*

Phorcys et *Ceto*, *Ponti* et *Terrae* liberi, *Graeas* genuerunt *t*), *Gorgones u*) et *Serpentem* mala aurea custodientem *x*), quem Apollonius Ladonem nominat *y*): quibus Homerus addit *Thoosam* nympham, Polyphemi matrem *z*). *Phorcys* secundum Apollonium, quem scholiastes Homerum et Acusilaum secutum esse refert, cum *Hecate Scyllam* genuit *a*).

§. 7. *De Graeis.*

Hesiodus *duas* nominat *Graeas*, quia iam inde a partu canae essent, ita dictas, vnam *Pephredinem*, alteram *Enyo b*). Ouidius quoque Phorcydas tantum duas, nominibus vero omissis, commemorat *c*). Apollodorus *tertiam* addit *Dino* (Δεινω) *d*). Aeschylus quoque

q) Pausan. Corinth. p. m. 62. *r*) Theocriti Scholiast. ad Id. XV, 112.
s) Plutarch. de sera num. vind. T. II. p. m. 560. C.
t) Hesiod. Theog. v. 270. *u*) ibid. v. 274. *x*) ibid. v. 333.
y) Apollon. IV, 1396. *z*) Hom. Od. I, 71.
a) Apollon. IV, 828 et 829 ibique Schol.
b) Hesiod. Theog. v. 270-273.
c) Ouid. Met. IV, 773 et 774. *d*) Apollod. II, 4. §. 2.

quoque de *tribus* Phorcidibus loquitur *e*), eiusque Scholiaftes nomina, quae Apollodorus habet, addit. Habitabant illae ad montem Atlantem, fi Ouidium fequimur *f*); cumque forores dicantur Gorgonum, quarum fedes ab omnibus fere ad littus Africae occidentale vel in infula quadam maris Atlantici ponuntur, illarum domicilium in vicinia fuiffe verifimile eft. Aefchylus Graeas ad mare occidentale prope ad Gorgones forores habitaffe difertis verbis refert *g*). Vno tantum oculo gaudebant communi, vnoque dente *h*), quibus inuicem vterentur. Perfeus, cum in eo effent, vt altera alteri traderet oculum, eum fubduxit, fi fe ad Nymphas, quae talaria aurea, cibifin et Orci galeam haberent, duxiffent, reddere eum promittens *i*). Pindarus quoque de filiarum Phorcyis excaecatione a Perfeo facta loquitur *k*). Aefchylo funt cygniformes, neque folis neque lunae lumine colluftrantur *l*).

§. 8. *De Gorgonibus.*

Gorgones erant *Stheno*, *Euryale* immortales, et *Medufa* mortalis; habitabant ad Oceanum in extrema terrae parte verfus occidentem *m*). Alas habebant *n*), quas Apollodorus aureas fuiffe refert, capita draconibus erant inuoluta, dentes longi vt fuum, manus aëneae *o*). Qui eas adfpexerant in lapides mutabantur *p*). Medufa caefa Perfeum infecutae funt *q*). Gorgones in fcuto Herculis Perfeum infequentes, duobus draconibus in zonis expreffis, erant efficlae *r*). Secundum Ouidium Medufa fola angues in crinibus habebat *s*). Cum Medufa concubuit *Neptunus*, exque ea, cum Perfeus caput eius amputauerat, profilierunt *Chryfaor* et *Pegafos*, a Neptuno fcilicet concepti *t*): Ouidius eos de matris fanguine natos dicit

e) Aefchyl. Prometh. v. 792 et 793. *f*) Ouid. Met. IV, 771.
g) Aefchyl. Prometh. v. 792 et 793.
h) Aefchyl. Prom. v. 795. Apollod. II, 4. §. 2. Ouid. Met. IV, 774. Schol. Apollon IV, 1515.
i) Apollod. l. l. Ouid. l. l. *k*) Pind. Pyth. XII, 24.
l) Aefchyl. Prom. v. 794-796. *m*) Hefiod. Theog. v. 276.
n) Aefchyl. Prom. 798. *o*) Apollod. l. l.
p) Aefchyl. l. l. Apollod. l. l. *q*) Adollod. l. l.
r) Hefiod. fcut. Herc. v. 230. *s*) Ouid. Met. IV, 790. 1.
t) Hefiod. Theog. v. 280-282. Apollod. II, 4. §. 2.

cit *x*). Cum capite Medusae quae facta ediderit Perseus, Minervamque id postea accepisse, huc non pertinet referre.

§. 9. *De Pegaso.*

Pegasus equus alatus terra relicta immortales adit, in Iouis domo habitat, eiusque tonitru et fulgur fert *y*). Bellerophon eius ope Chimaeram occidit *z*).

§. 10. *De Chrysaore.*

Chrysaor, ita dictus, quia ensem aureum manu tenens nascebatur, ex *Callirhoe* Oceani filia *Geryonem* tricipitem genuit *a*) et *Echidnam b*).

Nunc rationes, cur mythos istos originis Phoeniciae, saltem a Phoenicibus in Graeciam illatos putem, haud quidem ita, vti eos nunc habemus poetarum figmentis inquinatos, afferre liceat. Loca, in quibus personas illas veteres degisse narrant, partes sunt extremae Africae et Europae versus occidentem, et insulae in mari Atlantico sitae. Regiones istae tum iis temporibus, quibus personae illae vixisse dicuntur, tum iis, quibus scriptores antiquissimi mentionem earum facientes, v. c. Homerus et Hesiodus floruerunt, Graecis nisi prorsus ignotae, saltem non erant aditae. Quidquid igitur de regionibus istis, aut rebus ibi factis nouerunt, ab aliis, Phoenicibus nimirum, qui soli tunc temporis terras tum illas, tum Graeciam mercaturae causa adirent, resciuerint necesse est. Sed si haec ita sunt, mythi isti Phoenicii nominari recte queunt. — Quis vero non videt quosdam illorum mythorum, v. c. de mutationibus in lapides adspectu Gorgonum factis, ipsi locorum naturae deberi, phantasia adspicientium esse ortos, et sermone Orientalium figuris abundante esse excultos, alios vero, vtrum a Phoenicibus, an a Graecis, nescio, esse fictos, aut, si mauis, diuersos esse coniunctos, vel vt illorum ortum illustrarent, vel cum systemate cosmogonico congrui redderentur. De mythis ad genus Phorcidum pertinentibus ita loquitur Cel.

x) Ouid. l. l. v. 785.
y) Hesiod. Theog. v. 282. 284 - 286.
z) Id. ibid. v. 325.
a) Id. ibid. v. 281. 284. 287 et 288.
b) Id. ibid. v. 297.

Cel. Heynius *c*): "Spectant haec ad antiquissimum et singulare prorsus fabularum genus, ad extremam Africam relegatum, a Graecis haud dubie aliunde acceptum. — Multa insunt, quae a Phoenicibus accepta videntur, saltem ab iis, qui extremum Libyae occidentem nauigatione adierant, et noua ac mira ibi visa renuntiabant. Et alio loco *d*): Stirpis a Phorcye et Ceto prognatae commemoratio videtur partim Phoeniciae originis, sed admodum corrupta esse, partim nauigantium ad extremum occidentem Africae et Hispaniae, partim poetarum, qui Persei res gestas carmine exposuerunt etc.". —

§. 11. *De Agenore.*

Agenor Neptuni ex *Libye* filius, *Beli* frater, [Scholion ad Euripidem eum *Beli filium, Phoenicis*que *fratrem* nominat *e*)] genere Inachidarum *f*), ex Aegypto in Phoenicen se conferens ei imperat *g*), et ex *Telephassa Europam* filiam, filiosque *Cadmum*, *Phoenicem* et *Cilicem* procreat *h*). Europa rapta, filios ad eam quaerendam mittit, ne vnquam, nisi Europam inuenerint, ad se redeant, iussos *i*). Telephassa mater, et *Thasus* Neptuni, secundum Pherecydem Cilicis filius, illos comitantur. Omni in quaerenda Europa diligentia frustra adhibita, cum ad patrem redire non liceret, alius aliam terram insidet. Pro Telephassa apud Stephanum Byzantinum legitur *Telephae k*) et *Telephe l*). Scholiastes quoque Euripidis *Telephen* habet Europae matrem, sed Phoenici nuptam *m*). Secundum Pherecydem *n*) et Hyginum *o*) *Argiope* Nili filia Agenoris fuit vxor. Apollonii Scholiastes ex Pherecyde refert *p*), Agenorem primis nuptiis *Damno*, Beli filiam, matrimonio habuisse, e qua tolleret *Phoenicem*, *Isaeam*

c) Heyne ad Apollod. p. 296 et 297.
d) Heyne de Theogonia Hesiodi, in Commentat. soc. Gott. T. II. p. 142.
e) Schol. ad Eurip. Phoen. v. 254.
f) Apollod. III, 1. §. 1. II, 1. §. 4. Scholiast. ad Eurip. Phoen. v. 5. Eustath. ad Dionys. Perieget. v. 899. Tzetzae Chil. VII, 136.
g) Apollod. II, 1. §. 4. *h*) Apollod. III, 1. §. 1.
i) Apollod. l. l. Ouid. Met. II, 858.
k) Steph. Byz. v. Δαρδάνιος. *l*) Idem v. Θασσος.
m) Schol. Eurip. ad Phoen. v. 5. *n*) Schol. Apollon. III, 1185.
o) Hygin. f. 178 et Muncker. ad Hygin. c. 6.
p) Schol. Apoll. ad v. l.



Isaeam et *Meliam*, hanc Danao, illam Aegypto nuptam; deinde vxorem duxisse *Argiopen*, Nili filiam, eiusque ex illa filium fuisse *Cadmum*. Scholiastes Euripidis *Argiopen* Beli filiam, filiosque ex ea *Cadmum*, *Cilicem* et *Phoenicem* vocat *q*). Aliud scholion ad versum Euripidis fundatum Agenoris filios exhibet: *Cadmum*, *Cilicem*, *Cilicem* et *Phineum*, Phoenice omisso, quem Apollodorus *r*) et Euripidis Scholiastes *s*) Agenoris filium dixerunt; Scholiastes quoque Aeschyli *t*) eum omisit. Quomodo haec tam diuersa conciliari possint, equidem non video.

§. 11. *De Phoenice.*

Homerus *u*) *Phoenicem* puellae late celebris, Europae scilicet, patrem nominat, Euripidisque Scholiastes *x*) eum ex *Telephe*, Epimedusae filia, *Pirum*, *Astypalen*, *Europam* sustulisse scribit. Virgilius *y*) et Antoninus Liberalis *z*) hisce Phoenicis liberis addunt *Carmen*, Britomartis matrem, nisi quod hic matrem eius *Cassiopeam*, Arabici filiam facit. Asius, Pausania teste, Phoenicem e *Perimedusa*, Oenei filia, *Astypalaeam* et *Europam* sustulisse ediderat *a*). Secundum Apollodorum *b*), Hyginum *c*), Eustathium *d*), et Scholiasten Euripidis *e*) *Agenoris* filius fuit. Aliud ad Euripidem scholion *f*) eum *Beli* filium, *Agenorisque* fratrem nominat. Apollodorus *g*) matrem ei dat *Telephassam*, Hyginus et Euripidis Scholiastes *h*) *Argiopen*. Ex itinere ad quaerendam Europam frustra suscepto, ad Phoenicen, suo nomine dictam, appulit, ibique consedit. Hygino *i*) si credimus, in Africam profectus est Phoenix, ibique remansit, et Afri inde Poeni appellati sunt. Eustathius *k*) quoque, alios, ait, Afros dicere appellatos a Phoenice, Agenoris filio. Fabula ista ex etymologia

q) Schol. Eurip. ad Phoen. v. 5.
r) Apollod. III, 1. §. 1. *s*) Schol. Eurip. ad v. l.
t) Schol. Aeschyli ad Septem ad Theb. v. 492.
u) Homer. Il. XIV. v. 321. *x*) Schol. Eurip. Phoen. v. 5.
y) Virgil. Ciris v. 220. cf. Heynii Exc. ad illum l. p. 163.
z) Anton. Lib. Met. c. 40. *a*) Pausan. Achaic. p. m. 208.
b) Apollod. III. 1. §. 1. *c*) Hygin. f. 178.
d) Eustath. ad Dionys. v, 905. *e*) Schol. Eurip. Phoen. v. 5.
f) Schol. ad Eurip. Phoen. v. 254. *g*) Apollod. l. l.
h) Hygin. f. 178. Schol. Eurip. v. 5. *i*) Hygin. l. l.
k) Eustath. ad Dionys. v. 905.

logia originem duxiſſe videtur, et quod Phoenicias colonias in pluribus Africae locis conſediſſe neſcirent. Illud vero ab Apollodoro memoratum, Phoenicem in Phoenicia conſediſſe, cum paulo ante Agenorem Phoeniciae regem dixiſſet, qui filios, niſi inuenta Europa, nunquam ad ſe redire iuberet, ita explico: Agenorem non totius Phoeniciae regem fuiſſe, Phoenicemque partem ad patrem non pertinentem inſediſſe. Secundum Euſebium *l*) Bithynia, quae primum Mariandyna vocabatur, exculta eſt a Phoenice.

§. 13. *De Cilice.*

Cilix Agenoris ſecundum Apollodorum *m*) ex *Telephaſſa* filius, ſecundum Hyginum *n*) ex *Argiope*, a patre ad qûaerendam Europam miſſus, Ciliciam inſidet, ſuo nomine dictam. Herodotus *o*) quoque Cilices a Cilice, Agenoris Phoenicii filio, nomen accepiſſe tradit. Contra Lycios bellum geſſit, Sarpedone, cui partem Lyciae concederet, ſocio *p*).

§. 14. *De Cadmo.*

Cadmus Agenore et *Telephaſſa* parentibus natus *q*) ad Europam ſororem quaerendam miſſus, cum matre ad *Rhodum* inſulam appulit, ibique fanum, quod, cum mari tempeſtatibus vehementer iactabatur, condendum voto ſuſceperat, Neptuno exſtruxit, et Phoenices quosdam ad ſacra curanda reliquit. Dona quoque Mineruae Lindiae dedit, interque ea aeneum lebetem, ad veterem modum fabrefactum, Phoeniciisque litteris inſcriptum *r*). *Calliſten* inſulam inde petiit, *Theram* poſtea dictam, relictisque ibi Phoenicibus quibusdam cum Membliareo, affine ſuo, ad *Samothraciam* curſum direxit *s*). Initiatus ibi myſteriis *t*) ad *Thraciam* ſe conuertit, perque aliquod tempus cum matre ibi habitauit *u*). In Thracia ad *Pangaeum* montem

l) Euſeb. Chronic. I. n. DLXI. *m*) Apollod. III, 1. §. 1.
n) Hygin. f. 178. *o*) Herodot. VII, 91.
p) Apollod. III, 1. §. 2. *q*) Apollod. III, 1. §. 1. cf. c. de Agenore.
r) Diodor. Sic. V. p. 227. D. ed. Rhodomanni.
s) Herodot. IV, 148. Pauſan. Lacon. p. m. 82 et 97. Steph. Byz. v. Μεμβλιαρος et Αναφη. Scholiaſt. Pindari ad Pyth. IV, 17.
t) Diodor. V. p. m. 223. C. *u*) Apollod. III, 1. §. 1.

montem *auri metalla* et *conflaturam* inueniſſe dicitur *x*). Telephaſſa matre mortua, donisque hoſpitalibus a Thracibus acceptis, *Delphos* adiit, de Europa ſorore deum conſulturus. Deus de ſorore non curare, ſed bouem, viae ducem, ſequi, et, vbi feſſa procubuiſſet, vrbem condere iuſſit *y*). Per *Phocenſium* terram iter proſequens, in Pelagontis armentis vaccam inuenit, quae *Boeotiam* ingreſſa ibi procumberet, vbi poſtea Thebae conderentur *z*). Pauſanias vaccam illam a Pelagontis paſtoribus venditam dicit, eamque in vtroque latere ſignum candidum, ſimile plenilunii circulo, habuiſſe narrat, locumque, vbi genua flexiſſet, ſuis adhuc temporibus eſſe *a*). Hyginus Cadmum a deo iuſſum, ait, bouem emere, qui lunae ſignum in latere haberet *b*). Secundum Ouidium bos incuſtodita erat *c*). Cadmus bouem Mineruae, ſi Ouidium ſequimur *d*), Ioui mactaturus, ſocios ad Martis fontem aquam hauſtum miſerat; quibus omnibus a Dracone, Martis filio, fontem cuſtodiente, occiſis, indignatus Draconem obtruncauit, dentesque eius, Minerua ſuadente *e*), ſparſit. Dentibus ſparſis viri armati ex terra ſurgunt, Sparti nominati, qui, diſſidio orto, inuicem ſe occidunt *f*). Secundum Pherecydem Cadmus lapides in eos coniecerat, cumque vnus ab altero ſe petitum crederet, ad manus ventum erat *g*). Apud Nonnum Minerua lapidem in eos coniecit *h*). Quinque tantum ſuperſtites fuerunt; quorum auxilio Cadmus arcem condidit, Cadmeam dictam *i*). Propter Draconem, Martis filium, occiſum Marti ſeruiit annum *k*), quem octo annorum fuiſſe perhibent *l*). A boue illa terram

x) Plin. VII, 56. Clem. Alex. Strom. I. p. 363 ed. Potter. et ex eo Euſeb. Praep. Ev. X, 6. cf. Heyne ad Apollod. p. 530. et Strabo XIV. p. 998.

y) Apollod. III, 4. §. 1.

z) Loc. cit. Diod. IV. p. 147. B.

a) Pauſan. Boeot. p. 290. et poeta a Schol. Ariſtoph. ad Ran. v. 1256. citatus.

b) Hygin. f. 178.

c) Ouid. Met. III, 15.

d) Ouid. Met. III, 26.

e) Steſichorus ap. Schol. Eurip. ad Phoen. v. 674. Apollod. III, 4. §. 1. Hygin. f. 178.

f) Apollodor. III, 4. §. 1. aliique.

g) Id. ibid. Schol. Apollon. III, 1185. Pherecydem ſequitur Eurip. Phoen. 666.

h) Nonni Dionyſiac. l. IV. fin.

i) Ouid. Met. III, 129. 130.

k) Apollodor. III, 4. §. 2. Schol. Homeri ab Heynio ad Apollod. p. 556 deſcr.

l) Apollodor. III, 4. §. 2. cf. omnino Heyne ad h. l. p. 556 et 557. Suidas v. Κάδμος.

terram dictam volunt Boeotiam *m*); fabula de boue ipſa, vti illa de Spartis, ex etymo nata eſt *n*). Euhemerus, quem omnes paradoxa in hiſtoria ſecutum ſciunt, Cadmum Sidoniorum regis coquum cum Harmonia cantatrice aufugiſſe tradiderat *o*). Quantopere omnia, inprimis quod ad Cadmi in Boeotiam aduentum, eiusque illic facta attinet, fabulis cumulata ſint, quisque videt; verum eſſe puto, quod Pauſanias refert *p*), Cadmum cum Phoenicum exercitu (i. e. cum colonis) aduenisſe, Hyantes viciſſe, Aonesque manere atque cum Phoenicibus miſceri paſſum eſſe. De litteris aliisque artibus, quas Cadmus in Graeciam intuliſſe dicitur, alio loco agetur.

§. 15. *De Europa.*

Europa apud Homerum *Phoenicis* filia vocatur, quae, a Ioue amata, Minoem et Rhadamanthum filios ei peperit *q*). Scholiaſtes Homeri ex Heſiodo et Bacchylide eundem nominat patrem *r*). Secundum Bacchylidem Iupiter in prato flores colligere eam videns, amore eius accenditur. In taurum mutatus, crocumque redolens ad eam accedit, Virgo in eius dorſo conſidet, Iupiterque in mare proſiliens eam in Cretam aufert, ibique eius amplexu fruitur. Aſterioni poſtea Cretae regi nupta filios peperit Minoem, Sarpedonem et Rhadamanthum. Apollodorus quoque Phoenicem a quibusdam Europae patrem dici teſtatur *s*). Recentiores ſcriptores omnes eam *Agenoris* filiam vocant. Apollodorus, Hyginus et Ouidius eadem omnino cum Bacchylide narrant, niſi quod Apollodorus ea quoque, quae apud Homerum diuerſa inueniuntur, addit, et quod Hyginus de Aſterione et Ouidius de filiis ſilet *t*). Quod matrem attinet, quam Europae dant, eadem, quam in Agenoris et Phoenicis vxoribus vidimus, obtinet diuerſitas. Solinus Europam in amni Lethaeo ad Gortynam tauri dorſo vectitatam refert *u*), et

m) Hygin. f. 178.
n) cf. Heyne ad Apollod. p. 554.
o) Athenaeus XIV, 22.
p) Pauſan. Boeot. p. 285.
q) Homer. Il. XIV, 321.
r) Schol. Hom. ad Il. XII, 397. cf. Heyne ad Apollod. p. 526.
s) Apollod. III, 1. §. 1.
t) Apollod. l. l. Hygin. f. 178. Ouid. Met. II, 840 ſq.
u) Solinus c. 2.



in inſula Creta feſtum Europae celebratum eſſe Ἑλλωτια dictum auctor eſt Stephanus Byzantinus *x*). Iam veteres hanc de Europa a tauro rapta fabulam modo naturali explicare ſtuduerunt; ſic Feſtus, plures, ait, Europam a praedonibus raptam dicere et naue, quae Iouis tutelam, effigiemque tauri haberet, in Cretam eſſe delatam. Res notiſſima eſt, in veterum proris naualibus, (παρασημοις) vel animalia, vel alia quaedam, v. c. montem, arborem fuiſſe picta, nauesque praeterea tutelam, i. e. alicuius dei, cuius tutelae nauis eſſet commiſſa, effigiem habuiſſe *y*). Veriſimile quoque eſt, ſi vnquam nauibus inderetur nomen, eas a picturis hisce, tamquam a rebus maxime conſpicuis, quibusque ab aliis facillime diſcerni poſſent, eſſe nominatas, adeoque illam nauem, quae Iouem i. e. effigiem Iouis veheret, taurum eſſe vocatam. Cum Feſto facit Fulgentius *z*). Palaephatus *a*) aliique Europam a Tauro, viro Gnoſſio, raptam volunt. Tzetzes nauem facie taurina fuiſſe dicit *b*); quam explicationem omnium maxime a veritate abeſſe puto. Alii, ni fallor, Iouem ipſum cum eum quondam in Creta regnaſſe legiſſent, naui taurum in vexillo habente vectum, Europam rapuiſſe, coniecerunt. Heynius V. C. in praelectionibus mythologicis Europam tauri dorſo vectam ſymbolum eſſe lunae ſuſpicatus eſt.

§. 16. *De Thaſo.*

Thaſus a Pherecyde *c*) et Euripidis Scholiaſte *d*) *Cilicis*, apud Apollodorum *e*) *Neptuni* filius vocatur. Pauſanias eum *Agenoris* filium dicit *f*), adeoque recte a Conone *g*) Cadmi frater nominari potuit. Cadmum in quaerenda Europa comitatus in Thaſo inſula, Thraciae oppoſita, ſuoque nomine dicta, cum comitibus ſuis conſedit, vrbemque in ea Thaſum condidit *h*). Herodotus quoque Thaſum

x) Steph. Byz. v. Ἑλλωτα.
y) Potters *Archäologie*, T. II. p. 277 et 278.
z) Fulgent. Mythol. I, 25.
a) Palaeph. de Incredib. c. 16.
b) Tzetzes ad Lycophr. v. 129. cf. omnino hac ſuper re Munkerum et van Staveren ad Hygin. f. 178. et ad Fulgentii Mythol. I, 24.
c) Apollod. III. 1. §. 1.
d) Schol. Eurip. ad Phoen. v. 5.
e) Apollod. l. l.
f) Pauſan. Eliac. A. p. 175.
g) Conon. n. 37.
h) Apollod. l. l. cf. Heyne ad eum p. 530. Steph. Byz. v. Θασσος.

ſum a Phoenicibus Europam quaerentibus conditam, templumque Herculis ab iis exſtructum commemorat *i*).

§. 17. *De Phineo.*

Phineus, ſi Hellanicum apud Apollonii Scholiaſten ſequimur, Apollodorum, Hyginum, et Scholiaſten Euripidis, *Agenoris* fuit filius *k*), ab aliis *Neptuni* filius dictus eſt *l*). Tempora ſi reſpiciamus, Phineus, qui Argonautarum temporibus vixit, neque Cadmi frater, neque Phoenicis filius eſſe potuit, ideoque quidam ab illo Phineo eum diſcernunt, ſeptimumque a Phoenice regnaſſe dicunt *m*). Quae praeterea de Phineo narrantur, cum ad iuniorem aliquem ſpectent, hoc loco praetereunda puto.

§. 18. *De Membliaro.*

Herodotus *Membliarum* Cadmi affinem vocat, filiumque Poecili, eumque in *Calliſte* inſula, *Thera* poſtea dicta, cum aliis Phoenicibus a Cadmo relictum ſcribit *n*); quocum conueniunt Pauſanias *o*) et Stephanus *p*). Pindari Scholiaſtes pro Membliaro habet Membriarum, (litterae L et R propter ſimilem fere ſonum ſaepius mutatae ſunt) cumque eo Phoenicias mulieres ibi manſiſſe tradit *q*).

§. 19. *De Spartis.*

Fabulam de *Spartis* ſupra iam memorauimus, itemque eorum in condenda Cadmea opem; hic nomina tantum eorum addenda putamus. Fuerunt *Echion*, *Udaeus*, *Chthonius*, *Hyperenor*, *Pelor r*). Pro Pelore alii Pelorum nominant *s*). Heynius V. C. eos Phoeniciae originis fuiſſe ſuſpicatus eſt *t*).

i) Herodot. II, 44. quem exſcripſit Euſtath. ad Dionyſ. v. 523.
k) Schol. Apollon. II, 178. Apollod. I, 9. §. 21. Hygin. f. 19. Schol. Eurip. ad Phoen. v. 5.
l) Apollod. l. l.
m) Apollon. Schol. ad l. l.
n) Herodot. IV, 148.
o) Pauſan. Lacon. p. 82 et 97.
p) Steph. Byz. v. Μεμβλιαρος et Αναφη.
q) Schol. Pind. Pyth. IV, 17.
r) Apollod. III, 481. Schol. Eurip. Phoen. v. 949 et 674. cf. Munker. ad Hygin. f. 178.
s) Pauſan. IX, 5. Schol. Pind. Iſthm. I, 41.
t) Heyne ad Apollod. p. 555.



II. DE LITTERIS.

Herodotus Phoenices Boeotiam incolentes *alias multas doctrinas* in Graeciam intulisse dicit, interque eas litteras *u*). Quaenam doctrinae illae fuerint, non addidit. Strabo Sidonios cum *multarum*, tum *optimarum artium magistros* perhiberi scribit, adhaec *astronomiae* et *arithmeticae* peritos *x*). Neque hic alias artes nominat; adeoque astronomiam tantum et arithmeticam Graecos a Phoenicibus duxisse scimus creditos esse. Phoenices disciplinas illas tenuisse nemo dubitabit, qui expeditiones eorum maritimas et mercaturae et praedationis caussa susceptas meminerit. *Quantum* vero ipsi Phoenices ex iis disciplinis tenuerint, aut quaenam earum capita Graecos docuerint, nescimus. Eos signa saltem quaedam arithmetica cum Graecis communicasse, infra videbimus. Quosnam *philosophia* apud populum illum mercatorem fecerit progressus, quidque Graeci ex disciplina illa ei debuerint, aeque incertum est; philosophemata, quae mythis inuoluerunt, in Graeciam illata, supra iam vidimus.

III. DE ARTIBVS.

§. 1. *De arte litteris scribendi.*

Nunc de illis signis agemus, sine quibus nulla doctrina seruari potest incorrupta, litteras puta. Fuerunt quidam, tum veteres, tum recentiores, qui litterarum notitiam iam ante Cadmi in Boeotiam aduentum, ante igitur annum ante Chr. n. 1519. in Graecia fuisse contenderent. Rationes, quibus nituntur, hae sunt: "hominibus, cum in ciuitates coire, aut commercia inter se exercere aut bella gerere coeperint, continuo signa quaedam fuisse excogitanda, quorum ope absentes alloqui, ac animi sensa cum iis communicare possent *y*). Ita Americanos, cum innotescerent, iam modum quendam signis aliquid nuntiandi habuisse. In Graecia vero ante dilu- vium

u) Herodot. V. 58. *x*) Strabo XVI. p. 1098.

y) Buherius Diss. de litteris graecis et latinis ad calcem Montefalconii Palaeographiae p. 555.

vium Deucalioneum maximas ciuitates esse conditas, et multa regna fundata." Equidem nunquam crediderim, fore, qui Graecos ante Cadmum signa quaedam, quibus aliquid significare possent, habuisse neget, cum talium signorum, qualia Americani habebant, inuentione, post colores inuentos, nihil potuerit esse facilius; signa enim illa nihil aliud erant, quam rerum quas indicare volebant, picturae qualescunque. Graeci fortasse ante Cadmum iam longius in scribendi arte erant progressi, picturasque illas non in sensu proprio, sed symbolico accipiebant. At de istis nunc non agitur, sed de litteris, quae quantum ab illis differant, quis nescit? Licet igitur Buherio, asserti illius auctori, alterum istud concedamus, quamuis argumentum, quo vtitur, non satis sit firmum, neutiquam tamen hoc alterum concedere possumus: Graecos tunc temporis litteras iam habuisse. Neque alio argumento ab illo prolato plus effectum est, cum litteras iam Phoronei temporibus fuisse Graecis asserit, quia ille Argiuis leges tulisse dicatur; quis enim inde, quod Phoroneus leges tulisse dicatur, omnino leges illas scriptas esse colligat? Leges illae ferri poterant, licet non essent scriptae; fieri quoque poterat, vt memoria seruatae posteris temporibus litteris mandarentur. Tertium argumentum, quo vtuntur, qui litteras ante Cadmum in Graecia fuisse contendunt, illo haud firmius, iisdem quoque rationibus refellendum, ex Tzetza sumtum est, qui oraculum Cadmo Delphis redditum sine litteris seruari potuisse negat *z*). Num oblitus est Tzetza, Cadmum litteras iam nouisse, adeoque vel ipsum, vel ex sociis vnum Apollinis responsum litteris excipere potuisse? Quod vero illud argumentum prorsus tollit, hoc est, quod versus illi octodecim, quos Apollinem effatum esse dicunt, recentioris sunt aeui, tres enim eorum ex Homero sunt transscripti *a*). Valkenarius Mnaseam in Europiacis oraculi patrem habet *b*). Etiam G. I. Vossius de eius antiquitate dubitauit *c*). Diodorus litterarum memoriam diluuio deletam esse tradit *d*). Eustathius vero eas a Pelasgis seruatas

z) Tzetz. Hist. Chil. V, 815 et 829. X, 443. XII, 79.

a) Exstat oraculum ap. Schol. Eurip. Phoen. v. 641. et ap. Schol. Aristophan. Ran. 1256. versus illi exscripti sunt ex Il. ψ, 455. 326 et 780.

b) Valkenaer ad Eurip. Phoen. p. 679.

c) G. I. Vossius Art. Grammat. I, 10.

d) Diodor. V, 227.



feruatas dicit *e*). Et profecto, fi litterae ante diluuium fuerunt, cum tota Graecia non fit vndis fubmerfa, eas feruari potuiffe negari non poteft. Aliud adhuc fupereft argumentum, quod litteras ante Cadmum in Graecia fuiffe probare ftudent, idque inde petitum eft, quod *antiquiffimae litterae* vocantur *Pelasgicae*. Diodorus ex Dionyfio quodam mythographo litteras, quia Pelasgi primi illis a Cadmo illatis effent vfi, Pelasgicas nominatas refert *f*). Buherius poft Cadmum illud geri potuiffe negat, quia Pelasgi tum iam effent; quis enim nomine victi populi litteras appellauerit *g*)? Equidem, fi a victo populo primum illae litterae fint vfurpatae, et ab eodem fortaffe cum aliis communicatae, cur populi illius nomen non inditum fit litteris, me non videre fateor. Pelasgos vero Cadmi temporibus in Attica habitaffe conftat; Herodotus enim, qui Atticae ante Cecropem incolas Pelasgos Cranaos appellatos fcribit, poftea mutatis nominibus Cecropidas, Athenienfes et Iones, eos dicit *h*). Huc accedit, quod antiquitus Athenienfes ad Pelasgicum genus referebantur *i*). Cum itaque Pelasgos fub Cadmi aduentum Atticam inhabitaffe, adeoque Phoenicibus, qui Boeotiam infediffent, finitimos fuiffe conftet, verifimile eft, eos quoque primas litteras ab aduenis illis didiciffe, atque, cum maius iis faltem, quam Phoenicibus, cum reliquis Graeciae incolis effet commercium, litteras cum iis communicaffe. Quid igitur propius ad veritatem accedit, quam illud, litteras a Pelasgis acceptas ab aliis appellatas effe Pelasgicas? Et cum his quoque conuenit Herodotus *k*). Illud vero, quod Herodotus Iones, non Pelasgos, primum litteras didiciffe ait, nemini, qui Pelasgos Atticos centum fere poft Cadmum annis ab Ione Iones effe vocatos legerit, mirum effe poteft *l*). Hefychius, qui litteras Atticas idem, quod antiquas, fignificare tradit, opinionem illam confirmare videtur *m*).

At funt, qui litteras ex Aegypto petitas dicant. Inueftigemus itaque, an Aegypto litteras vere debeat Graecia. Diodorus Sain in Aegypto

e) Euftath. ad Il. B. p. 358.
f) Diodor. III, 140. *g*) Buher. p. 559.
h) Herodot. VIII, 44. *i*) Idem I, 57. *k*) Id. V, 58.
l) Idem VIII, 44. Strabo VIII. p. 588. D. Paufan. II, 14.
m) Hefychius v. Αττικα γραμματα.

Aegypto ab Athenienſibus ante diluuium Deucalioneum conditam eſſe refert *n*). Ex hoc loco probare ſtudent, litteras ex Aegypto in Graeciam migraſſe. At non cogitarunt, locum illum iis, quae de Graecia ex antiqua memoria nouimus, prorſus contradicere, contrariumque eſſe verum; ex Sai Aegyptia ſcilicet ante diluuium coloniam veniſſe in Atticam, nimirum ſub Cecrope. Nonne igitur Cecrops, cum ante diluuium in Graeciam veniſſe, atque litteras ſecum duxiſſe dicatur, Pelasgos eas docuerit? — Cecrops ipſe fortaſſe litteras nondum nouit, cum in Aegypto tunc temporis adhuc eſſent ignotae, et ſigna ſolum hieroglyphica vſurparentur. Athenienſes vero, qui litteras ſe a Cecrope didiciſſe profitentur, ſtudio gloriae, aemulatione forſan erga Thebanos nato, abrepti id finxiſſe dicendi ſunt; quod iam Stephanus Morinus monuit *o*). Alii grauius pro Aegyptiaca litterarum origine argumentum protuliſſe crediderunt, ſi Cadmum, quem omnes fere litterarum in Graecia auctorem perhibent, Aegyptium fuiſſe dicerent. Hanc ſententiam Marſhamus potiſſimum et Kircherus defenderunt *p*), recentiorum quorundam Graecorum teſtimonio nixi, v. c. Diodori, Pauſaniae; qui tamen ipſe opinionem refellit *q*). Tot autem veterum, eorumque grauiſſimorum ſcriptorum ſunt teſtimonia, Cadmum eſſe Phoenicem, Phoeniciasque in Graeciam intuliſſe litteras, vt aliorum auctoritatem vix iis praeponere liceat. Aliud teſtimonium litteras Graecas Aegyptias pronuntians apud Plutarchum exſtat *r*). Phidolaus apud eum quaerit ex Simmia, qui tunc temporis apud Chonuphim in Aegypto fuerat, an de litteris tabulae, ex Alcmenae ſepulcro, Ageſilao iubente, diruto effoſſae, quas ſacerdotes Aegyptii intellexiſſe dicerentur, certum aliquid proferre poſſit? Simmias tabulam illam nouiſſe negat; litteras vero multas ab Ageſilao Memphim ad Chonuphim ſacerdotem, quas explicaret, eſſe miſſas, eumque, poſtquam triduo eas examinaſſet, litteris illis certamen Muſis habendum

n) Diodor. V. 227.
o) Stephan. Morin. de lingua primaeua p. 181 et 182.
p) Marsham. Canon. chron. ſaec. IX. Kircher. Prodrom. Aegypt. c. 1.
q) Diodor. I. p. 14. A. Pauſan. Boeot. p. 291.
r) Plutarch. de genio Socratis, T. 2. p. 578. F. et 579. A.

habendum Graecis indici, respondisse, formas vero litterarum sub Proteo rege fuisse frequentatas, easdemque, quas Hercules, Amphitruonis filius didicerit. At tota haec narratiuncula est fabulosa, et Simmias disertis verbis de litteris tantum loquitur ad Chonuphim missis; vtrum vero illae apographum tabulae illius fuerint, an aliunde desumtae, non liquet. Herculi vero, qui litteras illas didicisse fertur, quis nescit, multa tribui, quae ab aliis facta esse constet; porro quis Chonuphim litteras reuera intellexisse contenderit, cum et studium gloriae sui ipsius et patriae eum mouere potuerit, vt eas intellexisse diceret; denique litterarum illarum interpretationem commentitiam esse patet, quia cum Alcmenae temporum indole non conuenit, sed potius Agesilai temporibus accomodata est. Illis enim litteris moneri Graecos dixit a deo, vt armis positis pacatam quietamque vitam ducerent, et ex philosophiae praeceptis concertantes de iure Musis, i. e. erudite semper et cum ratione lites transigerent. Quam parum haec cum indole temporum Alcmenae conueniant, quis non videt; quantopere vero necessitatibus temporum Agesilai succurrant, patet.

Alii litteras ante Cadmum in Graecia fuisse, earumque cum Phoeniciis similitudinem inde probare conati sunt, quod Pelasgos Phoenices fuisse contendebant; vocabulum enim Pelasgorum derivandum censent a Phaleg, quod in lingua Phoenicia diuisionem significet; significatum quoque optime cum re conuenire, cum Pelasgi per totam fere Graeciam dispersi fuerint *s*). Hoc argumentum, cum sola etymologia nitatur, nihili faciendum est. Neque Buherio, qui ex Herodoti loco, vbi Phoenices, Io, Inachi filiam, et ex alio, vbi Graeci Europam e Phoenicia rapuisse dicuntur *t*), magnum illo tempore Phoenicibus et Graecis fuisse commercium, litterasque adeo Graecos a Phoenicibus discere potuisse colligit, adsentire possum, inde enim, quod Graeci semel in Phoenicia, Phoenicesque in Graecia fuisse dicuntur, saepius eos in illis terris fuisse non sequitur, neque, licet saepius id factum sit, Graecos litteras didicisse

s) Salmas. de Hellenistica p. 342. Thom. Reinesius de lingua Punica c. 11. n. 15. Buherius aliique.

t) Herod. I. 1. 2.

didiciſſe, prô certo affirmari poteſt; Graecis enim, antequam litteras diſcere cuperent, de earum vtilitate perſuaſum eſſe debebat; deinde maius, quam quod plerumque in peregrina terra conſumſiſſe putandi ſunt, tempotis ſpatium ad eas diſcendas opus erat.

Cretenſes, Diodoro teſte *u*), Muſis, Cretenſibus puellis litterarum inuentionem a Ioue datam eſſe contendebant, Phoenicesque formas tantum elementorum immutaſſe. Quis vero eſt, qui ſuperſtitionem vulgi, tot, tantorumque ſcriptorum anteponat teſtimonio?

Ne vllum, quod de litterarum Graecarum origine prolatum eſt, commentum deſideres, Olai Rudbeckii quoque opinionem, qui eas a Runis populorum ſeptemtrionalium deducit, commemorabo. Neminem autem ſpero fore, qui, cum haec opinio nullis nitatur teſtimoniis hiſtoricis, eius refutationem a me exſpectet.

Probemus nunc: *litteras Graecas* origine eſſe *Phoenicias. Nomina litterarum Graecarum cum Phoeniciis eadem ſunt. Forma fere eadem*, modo Graecas inuerſas eſſe memineris, cum Phoeniciae a dextra ad laeuam, illae contra, recentioribus ſaltem temporibus, a laeua ad dextram ſcribantur. Antiquiſſimis autem temporibus *Graecos* quoque Orientalium more a *dextra ad laeuam* ſcripſiſſe docet Pauſanias *x*), qui Agamemnonis nomen ita ſtatuae inſculptum legit. Deinde ſcribendi genus, quod *βυςροφηδον* dicunt, inuenerunt Graeci, cuius exempla adhuc exſtant., v. c. Inſcriptio Amyclaea, Sigea et columnae Nanianae. Huc accedunt *tot veterum teſtimonia, litterarum Graecarum originem Phoeniciam demonſtrantia*, vt nullum de iis relinquatur dubium. *Herodotus*, quia ſcriptorum, qui litterarum fecerunt mentionem, antiquiſſimus eſt, agmen ducat. Is Graecos ante Cadmum litteras nondum habuiſſe dicit, poſtquam vero Cadmus eos docuiſſet, Iones eas paululum immutaſſe *y*). *Larcherius* quaſdam tantum a Cadmo illatas eſſe litteras inde colligit, quod Herodotus articulum *τα* ante *γραμματα* omiſerit *z*). Si Herodotus ex

Larcherii

u) Diodor. V. p. 236. C.

x) Pauſan. Eliac. A. p. 174 fin.

y) Herodot. V, 58.

z) Larcher in nott. ad gall. Herodoti verſ. T. IV. p. 246. Herodoti verba haec ſunt: *οἱ δε Φοινικες οὗτοι, οἱ συν Καδμῳ απικομενοι — αλλα τε πολλα, οικησαντες ταυτην την χωρην, εσηγαγον διδασκαλια ες τους Ἑλληνας, και δη και γραμματα, ουκ εοντα πριν Ἑλλησι, ὡς εμοι δοκεει.*

Larcherii sententia scripsisset τα γραμματα, τα ουκ εοντα πριν Ἑλλησι, equidem intelligerem: illas litteras, quas Graeci nondum nossent. *Clemens Alexandrinus* ex Herodoto et *Ephoro* Cadmum litterarum Graecarum auctorem nominat *a*). Clementem exscripserunt *Cyrillus et Theodoretus b*). Cadmum litteras in Graeciam intulisse dicunt *Plinius c*), *Zenodotus* apud Diogenem Laertium *d*), *Flauius Iosephus e*), *Tacitus f*), *Diodorus g*), *Plutarchus h*), *Chrestodorus* in anthologia *i*), *Irenaeus k*), *Eusebius l*), *Cassiodorus m*), *Nonnus n*), *Isidorus o*), *Suidas p*).

Nunc quaestio oritur, *quot litteras* Cadmus in Graeciam intulerit? Plurimi veterum, qui litterarum numerum commemorarunt, *sedecim* nominant, v. c. *Plinius q*), *Plutarchus r*), *Irenaeus s*), *Marius Victorinus t*), *Cassiodorus u*), *Eusebius* sub Euclide demum archonte a. 2. Ol. 94 Athenienses 24 litteris vti coepisse refert, cum antea sedecim tantum habuissent *x*). *Isidorus* Cadmum *septemdecim* litteras in Graeciam intulisse tradit *y*); secundum *Plutarchum vndecim* tantum vsi sunt veteres *z*). Fuerunt *recentiores quidam*, qui antiquissimis temporibus *duodecim* tantum, vel *tredecim* litteras in vsu fuisse contenderent, quas radicales vocant *a*). Sedecim illae litterae a Cadmo illatae hae fuisse dicuntur: Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ.

a) Clem. Alex. Strom. I. p. 362. Potter.
b) Cyrill. contra Iulian. VII. p. 231. Theodor. serm. 1. de cur. Graec. affect. p. 467.
c) Plin. VII, 56.
d) Diog. Laert. in vita Zenonis VII. p. 171. ed. Menagii.
e) Joseph. contra Apion. I. p. 1330. Potter.
f) Tacit. Annal. XI, 14.
g) Diodor. III. p. 140. C. V. p. 235. C.
h) Plutarch. Symposiac. l. IX. probl. 3. tom. 2. p. 738. A et E.
i) Anthol. III, 1. epigr. 4. *k*) Irenaeus I, 12.
l) Euseb. Praep. Ev. l. X. init. *m*) Cassiodor. Grammat. init.
n) Nonnus Dionys. IV, 26. XLI, 381. *o*) Isidor. Origg. I, 3.
p) Suidas v. Καδμος et Φοινικηια γραμματα.
q) Plin. l. l. *r*) Plutarch. l. l. *s*) Irenaeus I. l.
t) Mar. Victor. Grammat. ed. Putschii p. 2458.
u) Cassiodor. l. l.
x) Euseb. Chron. II. n. 1617. *y*) Isidor. l. l.
z) Plutarch. Platon. Quaest. T. 2. p. 1009. E, vbi vitio operarum 1019 impressum est.
a) vid. Thom. Astle in Archaeologia Britannica T. 7. n. 30.

Υ. Alii vero loco Υ, H ponunt. *Cadmus* praeterea *tria ſigna arithmetica* Graecos docuiſſe dicitur, quae επισημα appellantur, επισημον F βαυ ſex aequans, επισημον σαυπι Ͽ vel ϡ 900 aequans [ita nominatum, quia ex C ſan conuerſo, ita Aeoles ſigma Ionum appellabant, et Π compoſitum erat *b*)] et επισημον ϙ vel ϟ coppa 90 aequans; Graecos vero *iis* etiam *loco litterarum* vſos eſſe, docuit Scaliger *c*). Qui Cadmum litteras Pelasgicas tantum immutaſſe dicunt, ſedecim illis Ζ, Θ, Ξ et Vau, Sanpi et Coppa επισημα addidiſſe tradunt.

§. 2. *De Metallifodina.*

Plinius Cadmum Phoenicem auri metalla et conflaturam ad Pangaeum montem (in Thracia) *inueniſſe* ſcribit, eademque *Clemens Alexandrinus*, et ex eo *Euſebius* teſtantur *d*). Cadmum per aliquod tempus in Thracia fuiſſe, ſupra iam vidimus; auri vero conflaturam nonniſi tum eſſe inuentam, cum ipſe Cadmus Harmoniae vxori monile aureum iam donaſſe dicatur, quod vereor ne ſit opus nimis artificioſum, quam vt ipſis artis primordiis confici potuerit, dubitare liceat. Illud ex *Herodoto* ſcimus, *Phoenices antiquiſſimis iam temporibus tum in Thracia, tum in Thaſo inſula diligentiſſime coluiſſe metalla, maximosque inde habuiſſe prouentus e*). Si verum eſt, quod *Reitemeyerus* dicit *f*): metalla nonniſi paulo ante bellum Perſicum diligenter a Graecis coepiſſe coli, Graecos, cum Phoenicum aurifodina in Thracia haud ita multo poſt bellum Perſicum, bello ſcilicet Peloponneſiaco, in Athenienſium poteſtatem venerit, multa a Phoenicibus in excolendis metallis didiciſſe putem.

§. 3. *De arte metalla tractandi.*

Rex Sidoniorum Menelao craterem totum argenteum, aureisque labris dederat *g*). Menelaus, donum illud Telemacho daturus,

 omnium

b) Herodot. I, 139.
c) Scaliger ad Euſeb. Chron. p. 103 ſq.
d) Plin. VII, 26. Clem. Alex. Strom. I. p. 363. Potter. Euſeb. Praep. Ev. X, 6.
e) Herodot. VI, 46. 47.
f) Reitemeyer *über die Bergwerke der Alten*, p. 67 ſq.
g) Homer. Od. IV, 613 ſqq.



omnium id bonorum ſuorum pulcherrimum, et pretioſiſſimum, opusque Vulcani vocat *h*). Hoc ex loco Phoenicum in elaborandis metallis praeſtantia clariſſime perſpicitur, hoc enim Phoenicium opus Graecis, ſi modo tunc temporis fuerint, quae Menelaus poſſideret, anteponitur, tamque affabre factum eſt, vt propterea a Vulcano confectum dicatur. Inde quoque, quod crateris labra inaurata erant, Phoenicum in tractandis metallis elucet peritia. Alium craterem argenteum, qui Patrocli fuerat, apud *Homerum* inuenimus commemoratum *i*). Sex metra ille ccpiſſe dicitur, multumque pulchritudine omnes per totam terram viciſſe. Sidonii ingenioſiſſimi, valdeque arteficioſi affabre eum feciſſe, Phoenicesque, cum multis in portubus eum expoſuiſſent venalem, Thoanti dono dediſſe dicuntur. Hoc in loco de cratere pretioſiſſimo agi, poetamque cauſſas, cur tanti habitus ſit, adiunxiſſe, nemo ibit infitias. Primum, quo pretium eius declaratur, hoc eſt, quod crater tam magnus eſt, vt ſex metra capiat, ſecundum, quod a Sidoniis factus eſt, ii enim ſunt artificioſiſſimi (πολυδαιδαλοι); atque non negligenter factus eſt, ſed diligenter, bene (ευ ησκησαν); tertium, licet multis in portubus venalis ſit expoſitus, non emtus eſt; quomodo hoc crateris laudi eſſe poſſit, qui antecedentia ſatis perpenderit, facile intelliget, quid enim aliud hoc loco ſignificare poteſt, niſi hoc, pretium tantum erat, vt non quiuis facile id perſoluere poſſet. Monilia quoque aureo electro apta confecerunt Phoenices, Graecisque venumdederunt; ita Phoenicius quidam, ſeruae patris Eumaei Phoeniſſae ſignum diſceſſus daturus, eiusmodi monile habebat venum *k*); celebratum quoque illud monile, pro quo Eriphyle Amphiarao marito, vt contra Thebas pugnaret, licet eum ibi interiturum ſciret, perſuaſit *l*), ſi Apollodoro fidem habemus, Phoenicium erat opus. Cadmus enim illud Harmoniae dederat *m*); poſtea Polynices eo hereditate accepto Eriphylen corrupit *n*). Multo iam ante bellum Troianum litteras tractarunt Phoenices, Cadmus enim, cum ad inſulam Rhodum appuliſſet, aeneum lebetem, litteris Phoeniciis inſcriptum, quem *Diodorus*

h) Id. ib. XV, 113 ſqq.
i) Hom. Il. XXIII, 741 ſqq.
k) Hom. Od. XV, 459.
l) Id. ibid. XI, 326.
m) Apollod. III, 4. §. 2.
n) Id. III, 6. §. 2.

dorus memorabile opus, antiquo modo affabre factum vocat, Mineruae Lindiae ex voto dicitur donasse *o*). Magnos Phoenices iam tum in tractando aere fecisse progressus inde apparet, quod in lebete illo litterae erant. Graecos, cum Phoenicum opera ante oculos haberent, multa ab iis didicisse, nemo negabit.

§. 4. *De arte textoria.*

Artem textoriam a Phoenicibus esse inuentam et sollertia huius populi, et praestantia, quam ars illa antiquissimis iam temporibus apud eos attigit, verisimile reddunt. Cum vero nulla, quod sciam, veterum exstent testimonia, quibus Phoenicibus illius artis vindicetur inuentio, certi, nisi meris coniecturis et opinionibus niti velimus, nihil hac de re proferri posse exstimo. Hanc artem ab iis cum Graecis fuisse communicatam, cum in ipsa Graecia, et praesertim in insulis antiquitus fuisse Phoenicum colonias, nauesque Phoenicias saepissime ad Graeciam appulsas, diuque ibi esse moratas *p*), moremque veterum nauticam agentium homines rapiendi, in aliisque terris vendendi, perpendo, nullus dubito. Ita apud Homerum de femina Sidonia, artem textoriam callente, quam Taphii rapuerant, et in insula Syria vendiderant, legimus *q*). Paris quoque Phoenicias secum duxerat feminas, quae texere sciebant *r*). Quanti Phoeniciarum feminarum opera prae aliis fuerint aestimata, inde optime intelligitur, quod, cum Hecuba Mineruae placandae causa peplum voueret, id eligebat, quod a Phoeniciis feminis factum erat *s*). Homerus quoque eo, quo de peplis illis, tanquam Sidoniarum feminarum operibus, loquitur, modo, pretium eorum augere voluisse videtur.

o) Diodor. V. p. 227. D.

p) Nauem Phoeniciam totum annum ad insulam Syriam mansisse apud Homerum videmus Od. XV, 454.

q) Hom. Od. XV, 416. 7.

r) Id. ibid. v. 426 sqq.

s) Hom. Il. VI, 289 sqq.